



CORPUS THOMISTICUM

<http://www.corpusthomisticum.org/otr.html>

Sancti Thomae de Aquino Liber de sortibus ad dominum Iacobum de Tonengo

[Textum Leoninum Romae 1976 editum
translatum a Pascale Nau OP automato
denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit]

Caput 3: In quo ostenditur quis sit modus inquirendi per sortes.

Scire autem oportet, quod multipliciter aliqui cognitionem exquirunt eorum quae humanam excedunt industriam. Quidam enim manifesta responsa deposcunt vel a Deo vel a Daemonibus: quorum primum pertinet ad propheticos viros, qui quadam privilegiata familiaritate Deo coniuncti, ab eo merentur instrui de futuris eventibus, aut de quibuscumque supernaturalibus rebus, secundum illud Amos III, v. 7: *non faciet dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.*

Revelat autem interdum vigilantibus per manifestam visionem, interdum autem per somnium, secundum illud Num. XII, 6: *si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Huius autem gratiae particulariter plerique homines participes effecti, a Deo admonentur in somnis de his quae pertinent ad eorum salutem: unde dicitur Iob XXXIII, 15: *per somnium in visione nocturna, aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplinam, ut avertat hominem ab his quae fecit, et liberet eum de superbia.*

Secundum vero pertinet ad nigromanticos, qui quibusdam incantationibus et sacrificiis a Daemonibus aliqua responsa exquirunt vel sermone prolata, vel aliquibus signis demonstrata; et hoc vel in vigilia, vel in somno. Quandoque vero aliquorum occultorum homines exquirunt notitiam, quasi signum eorum accipientes ex quibusdam quae in aliis rebus considerant: cuius quidem inquisitionis diversae sunt species. Exquirunt enim quidam occultorum notitiam sive circa futuros eventus, sive circa ea quae expedit agere, per considerationem caelestium motuum, inspiciendo scilicet motus et situs eorum, ex quibus aliqua futura et occulta se posse cognoscere putant: quod pertinet ad mathematicos sive astronomos, qui etiam geneatici appellantur

propter natalium dierum considerationem.

Quidam vero occultorum notitiam exquirendam putant considerando motus et voces aliquorum animalium, et etiam hominum sternutationes: quod totum pertinet ad auguria sive ad aruspicia, quae exinde dicuntur, quia praecipue aves inspiciunt, et earum garritus attendunt. Alii vero sunt qui occultorum notitiam quaerunt ex aliquibus quae ab hominibus dicuntur vel fiunt sub alia intentione, quod quidem inquisitionis genus proprie omen vocatur: cuius exemplum ex maximo Valerio accipere possumus, qui narrat quod cum Lucius Paulus consul bellum cum rege Persa esset facturus, a curia regressus filiam suam tristem inveniens, tristitiae causam quaesivit: quae respondit, Persam periisse: decesserat enim catulus quidam nomine Persa. Arripuit igitur omen Paulus, et spem clarissimi triumphi animo praesumpsit. Quidam vero conquirunt occulta attendendo quasdam figuras in quibusdam corporibus apparentes, ut puta secundum lineas manus humanae, quod dicitur chiromantia, vel etiam in osse spatulae alicuius animalis, quod dicitur spatulamantia.

Tertio vero modo aliqui notitiam occultorum requirunt ex his quae per eos geruntur, eorum considerantes eventum: quod etiam multipliciter fit. Ad hoc enim genus pertinet geomantiae usus, per quem quibusdam punctis descriptis eos diversimode secundum quasdam figuras disponendo, aliquorum occultorum putant per hoc se notitiam posse acquirere. Pertinet etiam ad hoc genus quod quibusdam cedulis reconditis in occulto, dum in quibusdam earum diversa scribuntur, in aliis vero nihil, discernitur quid accipientibus cedulas contingere debeat, vel de eis quid oporteat fieri. Cui etiam simile est quod quibusdam festucis inaequalibus absconditis, diversa circa aliquos indicantur ex eo quod maiorem vel minorem accipiunt. Ad quod etiam aequaliter pertinere videtur taxillorum proiectio, vel si quid aliud fiat, per quod diiudicetur qualiter sit aliquid dividendum, vel quid oporteat agere vel ad cognoscendum aliquod occultum praeteritum vel futurum. Unde etiam duella ad hoc videntur pertinere, nisi in quantum per artem vel virtutem plerumque unus alium superat.

Videntur etiam ad hoc pertinere iudicia ferri candentis vel aquae, et alia huiusmodi, nisi quod in his non est eventus indifferens: unde in his requiritur expressius divinae virtutis iudicium quam in aliis supradictis. Nomen autem sortis ad hoc tertium inquisitionis genus pertinere videtur, quo scilicet aliquid fit ut ex eius eventu considerato, aliquod occultum innotescat: unde sortes dicuntur proiici, vel in sinum mitti, vel aliquid aliud additur in commemoratione sortium, quod pertinet ad actum humanum, secundum illud



Proverb. XVI, 33: *sortes mittuntur in sinum.*

Patet igitur ex praedictis, quod sors est inquisitio occulti excedentis humanam industriam, per aliquid a nobis factum; in rebus humanis ad nos pertinentibus vel habendis vel utendis vel cognoscendis. Scire autem oportet, quod quandoque hoc tertium inquisitionis genus, quod ad sortes dictum est pertinere, potest alicui praedictorum generum permisceri. Quandoque quidem prophetae consultationi: sicut patet in facto Gedeonis, qui vellus expandens in area, inquisivit signum roris a domino, ut legitur Iudicum VI. Quandoque vero permiscetur nigromanticae inspectioni, sicut in aruspicio, secundum quod inspiciuntur viscera animalium Daemonibus immolatorum. Quandoque vero astronomicae divinationi, aut etiam augurum observationi, puta si hoc aut illud facienti, aspectus talis stellae vel talis avis occurrat. Quandoque vero divinationi, quae fit per observationem verborum propter aliud dictorum: ad quod pertinere videtur quod aliqui in apertione librorum observant quid eis occurrat. Et similiter aliae sortium diversitates facile colligi possunt secundum commixtionem tertii generis ad alia duo. Haec igitur de modo sortium dicta sunt.



AQUINATE

<http://www.aquinate.net/traduções.html>

Livro Sobre a sorte Ao Senhor Tiago de Tonengo

[Tradução Paulo Faitanin e Rafael Godinho]

Capítulo 3: No qual se demonstra qual é o modo de perguntar sobre a sorte.

É preciso saber que alguns de muitas maneiras buscam saber aquelas coisas que transcendem à capacidade humana. De fato, alguns pedem respostas claras a Deus ou aos demônios. Dos quais os primeiros são os profetas que estão unidos a Deus por uma familiaridade privilegiada, merecem apreender d'Ele os acontecimentos futuros, ou por revelações sobrenaturais, segundo o que [se lê] em Am 3, 7: *O senhor Deus não faz coisa alguma sem revelar o seu segredo a seus servos, os profetas.*

Às vezes tal revelação ocorre na vigília, por uma clara aparição, em outras, durante o sono, segundo Nm 12, 6: *se há entre vós um profeta, é em visão que me revelo a ele, é em sonho que lhe falo..* No entanto, muitos homens participam dos efeitos desta graça de um modo particular, sendo levados por Deus a saberem acerca das coisas que convêm à salvação deles. E por isso se diz em Jô 33, 15: *Em sonhos ou visões noturnas, quando a letargia desce sobre os homens adormecidos em seu leito: então ele abre o ouvido dos humanos e aí sela as advertências que lhes dá, para afastar os homens de suas obras e proteger o poderoso do orgulho.*

A segunda maneira é a necromancia, a qual consiste em fazer encantamentos e oferecer sacrifícios aos demônios, para deles conseguir qualquer resposta, por palavras ou por sinais, seja na vigília, seja no sono. Em outros casos, pois, procura-se obter o conhecimento das coisas ocultas aos homens pela observação de outros objetos que lhes servem como sinais do que querem saber. Há várias maneiras de interrogar, dessa forma, a sorte. De fato, alguns procuram saber as coisas ocultas ou acerca dos eventos futuros, ou o que devem fazer, pela consideração do movimento dos astros e das suas órbitas, e creem poder, mediante isto, prever algumas coisas futuras: é o que fazem os matemáticos ou os astrônomos, os denominamos criadores de horóscopos, por causa da consideração dos dias do nascimento.

Ao passo que outros buscam o conhecimento das coisas ocultas pela consideração dos movimentos e dos sons de certos animais e também da maneira com os homens espirram, o que totalmente concerne aos que são denominados áugures ou adivinhos, pois que observam o canto ou o voo dos pássaros. Outros, de fato, são aqueles que buscam conhecer as coisas ocultas mediante as coisas que são ditas ou feitas pelos homens sob outra intenção; eis o que chamamos presságio. Disso encontramos o exemplo em Valério Máximo, segundo o qual o cônsul Lucio Paulo, que ia empreender a guerra com o rei da Pérsia, ao voltar do senado e encontrar sua filha triste e pesarosa, e lhe perguntar a causa de seu pesar, ela lhe respondeu: “*Não há mais Pérsia*”. Acabara ela, com efeito, de perder um cãozinho ao qual chamava Pérsia. Paulo assentiu ao presságio e renunciou à esperança de um magnífico triunfo contra seus inimigos. Outros, pois, arguem sobre as coisas ocultas, voltando a sua atenção para certas figuras a partir de certos traços do corpo, tais como as linhas da mão, a que se chama quiromancia, ou dos ossos da espádua de um animal, a que se dá o nome de espadulancia.

Em terceiro, outros buscam o conhecimento das coisas ocultas a partir de certas experiências que vivenciam. Tendo-as como uma prova certa do acontecimento que aguardam. Isso se pratica de várias maneiras. Pela geomancia, que consiste em traçar alguns pontos e, em seguida, arranjá-los de modo a formar figuras com ajuda das quais se pretende adivinhar as coisas ocultas. Pertence também a este gênero o que se pratica pondo-se bilhetes em uma urna, uns em branco, outros tendo uns uma inscrição, e que se tiram ao acaso, para saber o que há-de vir ou o que se deve fazer. A esse gênero relaciona-se ainda o que chamamos ‘tirar a palha curta’, a qual é indicada se se toma uma maior ou menor. Compreende-se ainda o jogo de dados, ou qualquer outra sorte que se tira, por qual se possa saber se se deve fazer uma divisão ou o que for necessário fazer para conhecer as coisas ocultas do passado ou do futuro. Parece que pertence também a esse gênero o duelo, não enquanto pela arte ou pela virtude, algumas vezes, um supera o outro.

Acrescentamos ainda a prova do ferro vermelho, da água borbulhante e outras parecidas; exceto nesses casos, não é uma prova que seja insignificante e que não tenha algum perigo; também faz-se necessário, para isso, uma intervenção mais direta do poder divino do que nas outras provas das quais acabamos de falar. Dá-se ainda o nome de sorte a essa prova que consiste em considerar um acontecimento do qual se pretende extrair o conhecimento do que se quer saber de oculto: é isso que fez passar a expressão lançar a sorte, pôr os

bilhetes da sorte no seio; ou que se faz tantas outras coisas para tentar a sorte, e que pertencem a um ato humano, conforme o que [se lê] Provérbios XVI, 33: *a sorte se joga na orla da veste*.

Isso está de acordo, portanto, com o que dissemos mais acima, que a sorte não é outra coisa que a busca do desconhecido, que transcende a capacidade humana de algo feito por nós; sejam as coisas humanas a que nos convêm ter, usar, ou conhecer. Ora, é preciso saber que este terceiro gênero de pergunta, que dissemos pertencer à espécie da sorte, pode ser compreendido nesses que já enumeramos. Algumas vezes, é uma consulta profética, como de fato manifestou Gedeão, o qual, tendo apresentado um tufo de ovelha, pediu a Deus que ela fosse coberta de orvalho em sinal de resposta, conforme se lê em Jz VI. Outras vezes, é uma prática de necromancia, como nos adivinhos, em que se inspecionam as entranhas dos animais imolados aos demônios. Às vezes, de fato, é da astrologia adivinhatória, ou também das observações adivinhatórias, por exemplo, se, quando faz-se esta ou aquela coisa, aparece um astro ou um pássaro. Às vezes, de fato, é a arte divinatória que se faz por observação das palavras ditas por outros sujeitos; parece que isso pertence a observação de palavras que se acham abrindo um livro no primeiro trecho encontrado. E de modo semelhante, pode-se distinguir facilmente, por essas poucas noções, as diferentes espécies de sorte, do terceiro gênero, que se podem remeter às outras duas. Portanto, é suficiente o que foi dito sobre estes modos de sorte.